DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MELÆNA.

RICARDO THOMA WOODHOUSE AUCTORE.

Inter morbos plurimos et varios, qui generi humano incidunt, pauci sunt, fortasse nulli, queis viscera abdominalia quodammodò haud implicata sunt. Et, e muneribus magnis et momentosis quibus in oeconomia animali inserviunt; e consensu qui inter illa et partes corporis caeteras obtinet; e structura partium plurium multiplici; et e commercio arcto quod inter sese mutuò tenent; turbatio eorum crebra minimè admiranda est.

In proportione morborum haud parva, qui humanitatem cruciant, viscera chylopoietica primariò affliguntur, vel ex ipsis morbus oritur; sed in parte majore secundariò afficiuntur; aut mala eorum

turbationis magis generalis in systemate symptomatica habenda sunt.

Morbus, de quo tractamus, quibusdam medicis hodiernis, huic classi posteriori pertinere existimatur; aut naturae nixus esse, vasa abdominis congestione quâ laborant exonerare. Aliis autem, morbum saepe idiopathicum esse, persuasum est; quia cadaveribus paucis scalpello rimatis, signa nulla congestionis aut obstructionis spectari possint.

Melaena, quamvis morbus qui comparatè corpus humanum raròlacessit, minimè negligenda est, quia subinde observatur, et nunquam omninò periculi expers; immò, plerumque exitialis evadit. Morbus, quo materia nigra vomitu et dejectione ejicitur, nomine μελαίνη νοῦσος Hippocrate describitur; scriptores sequentes nomina diversa, scilicet Fluxus spleneticus, Nigrae dejectiones, Coloriaca, &c. ei apposuerunt. Hoffmano, Secessus cruentus, et Maladie noire a Gallis appellatus est. Hippocrates, et quidam nostrâ aetate species morbi nigri duas, nempè, Biliosam et Sanguineam describant; sed de illa, in qua materies sanguinea ejicitur, paginis sequentibus, solummodò agere mihi consilium est: nam, species prior rarissimè observatur, et dubium est si unquam existit. Forsitan ob affinitatem

inter quaedam symptomata cholorae, et nostri morbi, hi duo hisce ab auctoribus perplexi fuerant.

Si materia nigra magna quantitate ejiciatur, aeger breve post tempus e vivis eripitur; sed si parcè emittatur, aegrotans in sepulchrum lentè dilabitur. Melaena, itaque, attentionem medici summam semper sibi vindicat. Sexus utrosque infestat, et eos mediâ aetate plerumque adoritur; raro si unquam pueros, sed mares prae feminis, ob intemperantiam, saepius aggredi dicitur. Modo sequenti Sauvagesio definitur, "Alvi fluxus materiae negricantis, atro-rubrae, dejectione, aut vomitione frequenti notatus."

HISTORIA MORBI.

Superventio ejus aliquando subita est; sed, anorexia, flatus, eructationes acidae, et symptomata alia dyspeptica, cum doloribus colicis, per aliquod temporis accessum ejus plerumque praecedunt; postea anxietate, sensu ponderis, et dolore in epigastrio, pressione aucto, aeger vexatur; hypochondria tument; dolor obtusus ventriculi, et nonnihil cephalalgiae ac vertiginis frequenter adsunt. Nau-

sea gravior, graviorque fit; et tandem aeger aliquod coloris purpurei, grumosum, et ingestis commistum evomit; et inde levamen quoddam affertur.

Dolores in regione hepatis et lienis, qui per tempus nunc diuturnum, nunc brevius durant, aliquando sentiuntur. Pyrexia lenis saepius adest. Post vomitum, similis rerum colluvies deorsum dejicitur, rarò olens, interdum verò mirum in modum foetida, et plerumque tam nigra, ut picem liquidam referat. Alvus irregularis, saepissimè tarda; urina interdum cruda, saepe fere naturalis; vultus valde pallidus vel plumbeus est; pulsus paulò acceleratus, sed aliquando naturalis; sapor oris ingratus; lingua fusca, aut albida; noctes, propter dolores nauseamque, insomnes.

Progrediente morbo, vomitus frequentior, materies atra copiosior, et pulsus debilior debiliorque fiunt. Ingens infirmitas, syncopes frequentes, et mira emaciatio superveniunt; et aegrotus tranquillè inter syncopen animam expirat, vel mite delirio abripitur. Aliis in exemplis hydrops supervenit, quo citiùs seriúsve opprimitur aeger. Copia hujus materiae evacuata in deversis exemplis variat; nonnunquam verò ad libras plures ejicitur.

Hoc modo Melaena, tempore pro viribus morbi incerto, aegrotum plerumque abducit. Tamen in

exemplis nonnullis, congestionis indicia a menstruorum fluxu, vel sanguinis e mariscis, adimuntur; et aeger ad sanitatem pristinam restituitur. Aliis autem, in mulieribus praesertim, morbus statutis periodis impetum saepius redintegrat.

SECTIO CADAVERUM.

In iis, qui morbo nigro lentè consumuntur, corpus summè emaciatum invenitur, "viri hexape-"dalis, quadrati, quinquaginta libras ponderasse "cadaver vix crederem." * Abdomine aperto, hepar schirrho affectum, vel aliter induratum, ut cartilagini duritie longe praecelleret, et ossis recentis firmitatem appropinquaret, et saepe plurimum auctum observatur. Lien quoque amplificatus, et aliquando mirum in modum mollis notatur. Pancreas magnitudine et densitate adauctus, saepe schirrhosus spectatur. Tuba intestinalis, aspectu primo, gangraenâ corripi videtur, sed patefacta, materiâ atra impleta invenitur. Ostia arteriarum in superficie ventriculi et duodeni interna materia eadem implentur, et quibusdam in partibus maculae

---

* Sandiford Thesaurus.

nigrae, aut vibices adesse narrantur. In aliis exemplis, rubor inflammatorius in hac membranâ observatur. Hic autem non perpetuus est, immò, membranam verè pallidam esse in nonnullis exemplis, notatur. Rami, et trunculus ipse venae portae sanguine referti reperiuntur. Pylorus aliquando, contractum et schirrho affectum se habet; et vasa magna et cavitates cordis, paucis in casibus inanes esse dicuntur.

Hae sunt nonnullae ex mutationibus morbidis quae vulgo observantur; sed exempla (ut jam dixi) memorantur, quibus vitium nullum organicum detegi possit; et hinc morbus in speciem idiopathicam et symptomaticam recte distribuitur.

CAUSA PROXIMA.

Multa, ut causa Melaenae proxima planè cognoscatur, adhuc desiderantur. An effusio materiae nigrae, quae signum maximè notabile constat, pro causa vel effectu haberetur dubium sit. Symptomata, quae fere in omnibus exemplis, accessum ejus praecedunt, nos in sententiam posteriorem potius adducerent. Ubi congestiones planè existunt, inter omnes symptomaticum esse consenti-

tur: sed in exemplis, quae idiopathica vocantur, medici rationem explicando majori difficultate laborant. De fonte hujus materiae, hodierni non inter se tantò dissentiunt, quantò de causa coloris peculiaris.

Sententiam Hippocratis, qui primam Melaenae theoriam edidit, et ejus discipulorum, prius depingam, quàm opiniones medicorum aetatis nostrae repando: et magis eò, quòd, in hac theoria, a tempore conditoris usque ad praesens, opiniones et curatio medicorum multùm pendebant.

Hippocrates et ejus discipuli, veri circuitûs sanguinis ignari, et sectioni hominum inassueti; per lapsum seculorum plurium, corpus, sanguinem, pituitam, et duas bilis species, nempe flavam et atram continere; et in equilibrio horum humorum sanitatem vigere; et ex copia nimia unius vel alterius, morbos oriri, credebant. In Melaena, bilem atram praedomare, eam ex hepate formari, in lienem vehi et tandem in ventriculum per vasa brevia produci putârunt. Sed postquam medici, sanguinis circuitu, et systemate lymphatica deprehensis, a rebus factis disceptare coeperunt; patrum hallucinationes multas repellere inducti sunt. Nam, observationes accuratae, et inspectiones cadaverum diligentes, fontes morborum plurium veras repan-

derunt, et eos, inter alia, bilem atram, ex qua tot mala procedisse docebantur, in re vera minimè existere, convicerunt.

Dotibus materiae ejectae perpensis, hodierni at pathalogiam hujus morbi tantò justiorem accesserunt, quantò, methodum curandi magis opportunum invenierunt. Aquâ calidâ materiae huic adjectâ, coagula nigra fundo precipitantur; liquor insipidus est, et lintea immersa rubra fit. Contra, si bilis modo eodem tractetur, aquâ omninò solvitur, liquor colorem flavo-viridem exhibet, gustui amarus est, et immissa flava tingit. Ex dotibus prioribus, qui sanguini solummodò pertinent, medici naturam morbi nigri veram suspicare coeperunt. Porrò, sectis cadaveribus aegrorum, hoc morbo extinctorum, venas mesenteriae sanguine repletas viderunt; et inde materiem nil praeter sanguinem venosam esse, et morbum congestionis viscerum symptomaticum esse statuerunt. Haec sententia Hoffmano, Hallero, Culleno, et aliis viris praeclaris erat; donec Portal, materiem hancce sanguinem arteriosum esse, per ora exhalantium, in tunicam ventriculi et intestinorum intimam patentium, effusum, probare tentabat.

Secundùm ejus sententiam, moles lienis auctus, et hepatis induratio, ramulos arteriarum compri-

munt; adeo quantitatem sanguinis naturalem recipere nequeunt; hinc copia major in ramos caeliacae alios refluere cogitur; dum reditus ejus per venas eadem causâ impediatur; ex quo fit ut ventriculus copiam sanguinis majorem, quam venae auferre valent, accipiat, quae inde in cavum ventriculi effundatur. Haec solutio plerisque medicis accepi, et haud parum ratione medendi confirmari, videtur. Sed verisimillimum est quendam statum membranae mucosae morbidum adesse, ut arteriae exhalantes hanc mutationem patiantur, necesse est. Nam in exemplis hepatis indurati longe plurimis effusio similis non accedit.

In iis exemplis, quibus obstructio viscerum nulla detegi potest, causam reddere haud tam facile est. Portal, qui solus rationem tentat, moerori diuturno, et affectibus animi deprimentibus, spasmum diaphragmati, musculis abdominalibus, et fibris intestinorum musculosis, afferentibus attribuit: quo fit ut systema venae-portae totum comprimatur, et circuitus sanguinis in eo segniter, dum in arteriis ventriculi naturaliter perficiatur. Sanguis igitur ad hoc copiâ majore, quam venae accipere possunt transfertur, in cavum ventriculi excernitur et vomitu rejicitur.

Sic Portal morbum semper obstructione prove-

nire putat; sed haec explicatio valde dubia est, nec multis placet; et Dr Cheyne vomitionem nigram adesse testatus est, quum obstructio nulla suspicari possit.

In statu corporis sano, functiones viscerum chylopoieticorum affectibus animi saepe perturbari, et concoctionem retardari, vel prorsus impedi, vidimus: et verisimile est, hos motus mentales, diu perstantes, talem conditionem membranae ventriculi mucosae inducere posse, ut vasa, de functionibus quorum naturalibus parum adhuc intelligitur, exudationem sanguinis patiantur. Statum quendam morbidum subesse ex symptomatibus praecedentibus, et dolore, epigastrio presso, apparet. Ut clarus homo bene notat in exemplis quae ipse vidit, "We find in all the three cases "previous complaints in the alimentary canal; "loss of appetite, pains, vomiting, &c. before the "disease appeared."

Conditio similis finem versus typhi icterodis adesse apparet: materia in hac febre rejecta, ei, quae in Melaena evolvitur maximè similat, et ex eodem fonte progredi videtur. Nonnulli, tunicam intimam, in cadaveribus a febre flava enectis, inflammationis signa exhibentem viderunt. Alii vix unquam inflammari contendunt; sed omnes

materiam nigram sanguinem esse consentiunt. In origine hujus materiae explicanda, quidem, ad relaxationem vasorum ex debilitate, aut statum sanguinis septicum, confugiunt; alii, ut Bancroft, ex nixu vomendi, tunicam ventriculi mucosam a caeteris avelli, et inde vasa rumpi, et sauguinem effudi, putant.

In exemplis febrium pluribus, conditionem membranae secernentis intestinorum morbosam adesse, ex ingente copia faecum evoluta, ingesta longe procellente, patet; et haud absimile est, hanc conditionem, aliquo huic febri peculiari adjuvatum, originem vomitui nigro praestare: et ex analogia, statum similem morbosam, effusioni Melaenae ortum praebere, inferre licet.

Quamvis medici hodierni, de natura hujus materiae concordant, de causa coloris atri adhuc disputatur. Nonnulli ad putredinem ac dissolutionem, a remora in ventriculo orientes, attribuunt; sin haec vera ratio sit, cur in haematemesi, et aliis intestinorum haemorrhagiis violentis non fit? et cur evacuationes in omni casu non olent? quae sequela animalium putredinis perpetua est.

Doctor Cullen, sine causam exhibente, inquit, "which appearance (scilicet niger) we know the "blood always puts on, when it has stagnated

"there for any length of time." Sed saepe ater ejicitur, cùm perbreve in ventriculo perstitit, ut bene novimus a vomitionibus praegressis, quibus nulla materia nigra aderat.

Portal, modo sequenti difficultatem auferre conatus est, "Sans doute que le sang y repand une "couleur noire, parce que, ne se trouvant pas en "contact avec le gaz oxygene, il se charbonne, et "se combine de plus avec le gaz carbonique, très-"abondant dans l'estomac, et dans les intestines." Idem quod putredini objectum est, hic etiam prodesse videtur, nempe, cur in aliis intestinorum haemorrhagiis non aequaliter nigrescit sanguis. Cuidam actioni vasorum morbido, nigritudinem referendam esse, cum celeberrimo Cheyne consentio, quanquam natura hujus actionis, pariter ac legum, quae actionem omnem secernentem dirigunt, nobis prorsus incognita est. Sed etiam cum Portal eatenus consentire possumus; viscerum obstructionem sanguinem in ventriculi et intestinorum exhalantia premendo, sensibilitatem eorundem propriam mutare, et actionem hancce peculiarem gradatim inducere valere.

CAUSAE.

Omnia, quae congestionem et motum segnem in venis abdominalibus promovent pro causis praedisponentibus habenda sint; vita sedentaria, quae circuitum sanguinis per exteriora segniorem reddendo, majorem copiam per interiora transire cogit. Moeror diuturnus; habitatio producta in regionibus calidis; accessus febrium frequentes, praesertim intermittentium, quae jecur et lienem in statum longe ab naturali saepissime ducunt; suppressio evacuationis cujusvis solitae, praecipue fluxûs haemorrhoidalis aut mensium; deflexus corporis pronus diuturnus; congestio, aut status lienis, hepatis, vel pancreatis induratus; et causae multae aliae quae praedisponentes aeque ac excitantes esse videantur, ut inter eas discrepare haud facile sit. Melaenam excitatam fuisse dicitur, usu emeticorum et potuum calidorum crebro, qui ventriculum debilitant. Sed causae atoniam stomacho intestinisque afferentes adeo sunt multae, adeoque patent, ut eas omnes enumerare et difficile et supervacaneum foret.

PROGNOSIS.

Prognosis in hoc morbo plerumque infausta, et a conditionibus aegri omnibus bene perpensis cautè pronuncianda est. Si morbus symptomaticus est, et aegrotans aetate provectus, si multis curis oppressus sit, vel compages ejus aliis morbis, veluti febribus aut affectionibus biliosis iteratis, quassata fuerit, rarò reviviscet. Quinetiam, si vomitus frequens est, et materia nigra copiosè ejiciatur, si vultus valdè pallidus sit, si pulsus debilis et vix percipiendus, si syncopes frequentes et pedum frigus adsint, prognosis infaustissima est.

Contra, si aeger juvenis, et morbis non labefactus sit pristinis, si materia ejecta parca, et vomitiones longa post intervalla redeant, et morbus evacuationis solitae suppressione originem trahit, prognosis magis fausta fuerit. Sed semper revenire proclivis est, et diaetâ bene regulatâ reditum ejus solummodò avertere quimus.

DIAGNOSIS.

In morbis tractandis, maximi momenti est, morbos a se invicem dignoscere ; nam quo magis

medicus de natura morbi dubitat, eo magis de ratione tractandi eum dubitare oportet. Morbi, quibus Melaena confundi potest, sunt Haematemesis, Dysenteria, Cholera, Haemoptysis, et forsan Haemorrhois.

Portal, sanguinem Melaenae, ab eo haematemesis in colore nigriore solummodò differe dicit. Signa praeëuntia, historia aegri, natura morborum pristinorum, vultûs pallor, et emaciatio et debilitas magis urgentes, diagnosin satis indicant.

Melaena a dysenteria dignoscenda est, febre et tenesmo fere absentibus; naturâ dejectionum, quae in dysenteria sunt parcae, mucosae, et sanguine florido commistae; etiam vomitus rarò adest. Sed in Melaena, sellae copiosae, minus frequentes, imò alvus plerumque tarda est, materies dejecta fuliginea, et vomitus in omnibus casibus fere semper adest.

Cum cholera morbo vix perplexi potest; natura materiae ejectae, quae omninò biliosa est, et rarissime si unquam coagulata; inter quem et materiam Melaenae sub causa proxima distinctionem feci, diagnosin satis indicat. Praeterea, spasmata surarum quae in cholera adeo molesta sunt, in morbo nigro prorsus absunt.

Melaenam ab haemoptysi haud difficile est dignoscere; sed haud tam facile si modum ejiciendi

solùm spectes, quia vomitus et tussis sese invicem excitant ; hìc igitur speciem sanguinis respiciamus oportet. E stomacho enim nigrior, coagulatus, magnaque cum colluvione commistus. E pulmonibus autem parcior, fluidior, mucoque spumoso solo immistus invenitur. Adde etiam signa praecedentia, quae affectionem pulmonum indicant, veluti ponderis vel caloris in pectore sensum, saporem oris salsum, et genarum ruborem quae haemoptysin plerumque antecedunt.

Ea species mariscarum, quae neque cum tumore externo, neque cum procidentia ani comitatur, fortasse cum Melaena confundi possit. Hinc verò patet discrimen, quod, aut sanguis effluens, secus ac in Melæna, plerumque modicus est, aut si immodicus, non aeque nigricans ; et foeces si modicus sit, vario colore intertingens. Quinetiam, lumborum et ani dolor originem profluvii indicant.

RATIO MEDENDI.

Medici antiqui, hunc morbum in effusione atræbilis constare hallucinantes, evacuantia et diluentia praescribere solebant. Sic Hippocrates scribit, " cura absolvitur crebris purgantibus, dein sero et

"lacte." Sed si hanc monitionem magni parentis sequereres, aegrotum e vivis citò ablegares.

Indicationes curationis sunt, primùm, effusionem sanguinis moderari; causas excitantes, si deprehendae possint, removere; et denique vires restituere; et morbo recidivo occurrere.

Ut actio vasorum aucta causa excitans esse videatur, venaesectio auxilium optimum praebet, ut Clar. Home docet, sed cum limitationibus uteretur. Si haemorrhagia ultro jam orta, signa congestionis minimè sustulerit, et si dolor, febris, et pulsus plenus adhuc restant, nil dubium quin ea aptissima sit. Ubicunque etiam habitus sit plenus, vel aeger aetate floreat, venaesectio prae cæteris celebrari debet. Sed, si vultus pallor intensus sit, pulsus debilis et aeger multum de debilitate queratur, aut aliud symptoma, quod inopiam sanguinis indicat, parcius detrahendus est. Si res jam dictae sanguinem e brachio detrahere contraveniunt, et symptomata simul postulant, hirudinibus utamur. Hoc consilio, hirudines duodecim vel quindecim epigastrio applicandae sint, et quoties vomitus rediret repetendae. Portal hirudines circa anum applicare solet, qua ramos venae portae efficaciùs exonerantur. Si post detrac-

tionem sanguinis iteratam, vomitus adhuc molestus fuerit, vesicatoria epigastrio adhibere prodest.

Astringentia, ore exhibita, ad effusionem inhibendum multum peragunt. Lenioribus tantum initio utendum est, ne peritonitis et inde hydrops inducerentur; nec tanta mole sumentur, ut vomitum cient, augeantve. Clar. Home acidum sulphuricum laudat, et forsitan omnium praestantissimum est, quippe medici voluntate vis ejus facilius augeatur vel minuatur; et praeterea facultate refrigerandi, et pulsus moderandi praeditum est. Si fortioribus adhuc uti opus sit, sunt gum kino, extractum catechu et supersulphas aluminae et potassae. Oleum terebinthinae, nuper commendatum est, et exempla memorantur, quibus et ore et ano exhibitum, fere specificum esse videtur.

Sanguinem in ductu alimentario restantem leniter emovere convenit. Huic indicationi inserviunt sales quidam neutrales, veluti sulphatis magnesiae in infuso rosarum soluta, parvis partitisque dosibus devoratus. Quum vomitus et effusio cruoris cessaverint, medicamentis quae ventriculum parum stimulant, uti decet, ut alvum liberam teneamus. Hoc consilio, pilulas aloës et rhei, aut pil. colocinth. comp. praescribamus; nam illae, do-

nec pylorem transierint, non dissolutae sunt. Enemata quoque magno cum commodo exhibeantur.

Prima indicatione impleta; secunda (causas excitantes amovere), attentionem postulat. Si morbus ab induratione viscerum oriri videatur, remedia, hisce accommodata, exhibeantur; qualia, hydrargyrus, conium maculatum, leontodon taraxacum, et supertartras potassae. Sed de hac re, non mihi mens est ulteriùs agere.

Tertium consilium est, vires restituere, et morbo recidivo occurrere. Hoc consilium, tonica amaraque implent; qualia, columbae radicis pulvis aut infusum, vel pulvis cinchonae; aut infusum gentianae. Fortasse quaedam ex praeparationibus ferri anteponendae sunt, propter dotes earum astringentes, veluti mistura ferri composita. Cibus facilis coquendi, et maxime nutriens, sumatur; etiam vinum bene dilutum praebeatur. Sed diaetâ nutriente, et medicamentis roborantibus, leviter, brevique tantum uti liceat; enim renascetur morbus, nisi plenitudo avertatur. Exercitatio modica sub divo, praecipue equitandi, vires pepticos roborare multùm convenit, et praeterea ad sanguinis distributionem equibiliorem contribuit.

REGIMEN.

Durante morbo, aeger perrarò aliquid appetit, praeter potum, qui frigidus ac acidulatus esset; haustus salinus effervescens, fortasse omnium praestantissimus est, propter facultatem nauseam sedandi. In situ horizontali recumbere debet, ut sanguis majori equabilitate distribuatur. Mens, placida teneretur. Nec potus nec medicamenta tanta mole sumerentur, ut vomitum inducant. Quum cibi desiderium oritur, parcè tantùm indulgere licet, ne ventriculus opprimeretur.

Inter convalescendum, omnes illae causae studiosè evitandae sunt, quae malum recidivum reddere possint; nempe, nimis calor, motus corporis animique vehementiores, et usus emeticorum et catharticorum fortiorum, et quae, pro causis antea enumeravi.

Si signa plethorae iterum sese ostendant sanguinis detractioni iterum recurrere opus sit; sed a diaetâ minus nutriente, et exercitatione modica sub divo, melius avertantur; quia venaesectio parcè et crebrè celebrata plethoram auget. Si morbus, ab evacuatione solita suppressa ortus sit, hanc restituere oportet, vel loco ejus, aliam minus periculosam supponere.

FINIS.